

Q. F. F. Q. S.

34
154.

ANNVENTE SVPREMO SCHOLARCHA,

IVBENTE SENATV MAGNIFICO,

AD
INTRODVCTIONIS ACTVM
NOVI PRO-RECTORIS ET PROFESS. PVBL.
GYMNASII THORUNENSIS,

VIRI
NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI
DOMINI

GEORGII PETRI
SCHVLTZII,

FRANCOFVRTANI MARCHICI,
PHILOS. et MEDICINAEDOCTORIS,
VUPER PROFESSORIS PVBL. IN ACADEMIA RECIA
BEROLINENSI MERITISSIMI,
ET AD AVDIENDAS ORATIONES,
D. XXII, DECEMB. A. cisi Sec XI, H. VIII. MATVTINA
HABENDAS.

PATRONOS, FAVTORES ET LITERARVM
AESTIMATORES,
DEBITO CULTV, OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITANT.

AC IVVENTVTEM STVDIOSAM
PERAMANTER CONVOCANT,
GYMN ASII THORVNENSIS
RECTOR, PROFESSORES ET VISITAT.



THORVNII,

Impressio JOHANNES NICOLAI, NOB. SENAT. & GYMNASI TYPGRAPHVS.

Exclm 297



I, quemadmodum olim dixit divinus Plato, perniciose men-
tis errore deceptus, ignorantia mortalium nihil aliud est
quam oblivio, reminiscens vero praeteritorum scien-
tia, hodie illud magna ex parte, verbis ad saniorem
mentem parumper inflexis, valere videtur. Enim ve-
ro, multa studio, quam plurima hominum negligentia
eviluerunt et obliuione conseputa. Deplorant multi deperditas
artes, earumque decus & nitorem: Accusant temporum injurias,
morumque corruptelas. Homines pristinae integratatis, fidei, con-
stantiae oblitos esse, accusationis doctrinaeque solidioris eruditos,
quot non sunt, qui conquefuntur? Verum unumquodque seculum
sua laboratae culpa compertum est, et nunquam non vitorum semi-
na viguisse. Nec magis aurea, ubi sola regnavit virtus, fuit aetas,
ac nunc ubique plane dura et calamitosa. Tum quoque artes non-
nullae magno Eruditorum studio excolluntur hodie, quae olim jacu-
erunt, aut ignoratae fuerunt, aliae, in quibus consenserunt majores,
iam negliguntur. Habet unumquodque tempus ab naturae ordi-
ne suos peculiares fructus, unaquaeque tellus, quae gignit sola: eodem
modo quaelibet aetas peculiari genio regitur quasi et exerce-
tur. Fabula hominis est vita, et variae agendi partes in scena mundi
eidem imponuntur. Circumvolutis annis, mortalium quoque res
et fortunas videmus circumvolvi. Relinqua igitur est antiqua
via, cum melior et nova adest omnibus probata et trita. Retinen-
di, quin et repetendi interdum antiqui mores, ubi non sunt viciosi,
et alii nihil meliores. Propterea prudenti moderatione omnia tem-
perare optimum est. Licet vero omnia iam alia prodeant forma,
unus tamen tradendae sapientiae modus, ab natura datus tantum
est, qui olim obtinuit et hodie quoque manet, institutio hempe et
disciplina. Hac instillantur exempla vitae et artium preeceptiones.
Cujus antiqui optimaque motis rationem cum perpendarent MAG-
NIFICI AMPLISSIMI q; Civitatis Thorunensis PROCE-
RES, non aliaipsis cura potior est, quam ingenuarum artium offi-
cinae, ut eidem praeficiant peritos Doctrinarum Duces, forman-
daque Juventutis Magistros. Talem jam speramus non tantum,
quoniam confidimus, fore, quem super MAGNIFICUS SE-
NATUS accivit, Virum Nobilissimum et Exponentissimum Dn.GE-
ORGIVM PETRVM SCHVLTZIVM, Doctorem Medicum pree-
stantissimum, ad hoc usque tempus in Academia Regia Berolinensi
docendi munere egregie perfunditum. Natus hic est Francofurti ad
Oderam Anno cloxxc Paco, exquisito Juris sacerdote et Profess.
Ord, PETRO SCHULTZIO. Is leges et Jura Academiac tum tem-
poris

poris moderatus in Academicorum retulit Anno MDCXCVI. non se-
cū filium, ac Parentes olim ipsi suos in Capitolium deductos in nu-
merum Civium Romanorum. Qvo tempore adolevit inter Excel-
lentissimos scientiarum Duces, BECMANUM, de LITH, de RUN-
CKEL, WESENFELDII et GRUNEBERGII. Privatas studio-
rum rationes moderatus est M. Godof. Wagnerus tantoqve felici-
us, qvando diligentior eius erat commendatio a magno JCto DIS-
SELDORFFIO facta, tum Lipsiae magno applausu Jura docente, nunc
Consule Gedanensi, prudentia, consilio et doctrina gravissimo. An-
no MDCCVIII. mortuo Parente Lipsiam contendit, ubi celeber-
rimorum Vitorum singulari fide et doctrina non parum se adjutum
gratus profitetur, praecipue B. ITTIGII, FRANCKENSTEINII, RECHEN-
BERGII, SCHMIDII, TITII, BAYERI, HARDTII, et ABICHTI, a qvibus re-
conditae sapientiae, Historiarum et Eloqventiae copiam percepit.
Redux in Patriam Anno MDCCI. Illustris Viri, HENRICI COCCEII,
Jure-Consultorum hoc aevo facile Principis, SER. REG. PRUSS. a
Sanctoribus Consiliis et Antecessoris gratiam sibi conciliavit, cuius
opera adjutus Jus N. et illam historiae partem, qvae Germaniae res
complectitur et Jura, excoluit. Nec minus in arte salutari percipi-
enda, qvae studiorum erat meta, Medicorum fama meritisqve Cla-
rorum, B. IRENÆI VEHRII et CONR. JOHRENII, doctrina, dexteritate et
beneficiis est ornatus. Postea Halas Magdeburgicas salutavit, et in
arte medica exquisitissimos Doctores HOFFMANNUM et STAHLIUM
est secutus, nec minus eos observavit freqenterqve audivit, qvi ma-
gnæ eruditionis fama ibidem florebant, THOMASUM, CELLARIUM, BUD-
DEUM et JOH. PET. LUDWIG. Tum honoribus Academicis, qvibus
praeluserat disputatione de Ordine, moderatore, qvem supra lauda-
vimus, IOH. CHR. BECMANO, Patrum suffragio Francofurti est orna-
tus, primo qvidem honestissimo Magistri, ut vocant, titulo in Phi-
losophia ab ordinis sapientum Praeside, Celeberrimo Viro, ANDREA
WOLGANGO AMANDERNENDE de RUNCKEL. Postea, anno MDCCIV.
Doctoris in arte medica nomen et decus, dilargiente, Hippocrate
altero Francofurtano, CONRADO JOHRENIO est adeptus, qvem quo-
qve Moderatorem brevi habuerat ante in conflitu disputantium
publico DE MORBIS BIBLICIS N. T. instituto. Exacto anno, ad Helm-
stadienses properavit et in familiaritatem admissus ibidem, SCHMIDII,
van der HARDT et MEBOMII, non sine magno eruditionis, qva ipsi
pollent, fructu discessit. Perrexit deinde in Belgum, qvod merito
Theatrum pacis belliqve negotiorum et artium domicilium dixeris.
non ut Roscios sibi conciliaret, sed Varrones. Qvos Amstelodami
primo vidi et salutavit, RUYSCHEIUM videlicet, et HEMSTEREYSENS : Bur-
MAN.

MANNUM et PITISCUM Ultraiecti , Hardewici ALMELOWEEN . P. BAYLIVM
Roterodami : van DALE Harlemi : Delphis LEEWENHVECCIVM : HELVICVM
Hagae-Comitum , qvorum omnium benevolentiam sibi magno suo-
rum studiorum commodo , acqvisivit . Diutius substitit Lugduni Bata-
vorum , ubi in familiaritatem et convictum Civis sui perqvam bene-
voli , et Celeberrimi Viti , THOMÆ CRENII cooptatus , studiis suis ob-
seqvi non intermisit , eoqve consilio adiit WITSIVM , VITRIARIVM , GRONO-
VIVM , PERIZONIUM , ut et ALBINUM , et DECKERUM , maximos in va-
riis scientiis Viros , in qvorum scholis nihil , nisi qvod admirationem
mereretur , audvit . Initio redeundi in patriam consilio , florentissi-
mas alias Belgii , Frisiae et Germaniae civitates perlustravit , Virosqve
doctrina conspicuos salutavit , Francverae RHEINFERDIVM : BRAUNI-
UM & HARPRECHTUM Groningae : Bremae MEIERUM et de MASTRICH :
FABRICIUM et EZARDI , Hamburgi , alibique alias , qvos allegare pagi-
na prohibet et ratio instituti . Confecto sic itinere , acqvisitos doctri-
nae thesauros obtulit aliis , sapientiae Professoris extra ordinem in A-
cademia patria munere ipsi commodum tradito tributoqve . In
qvo versatus per annum diligenter , in novam ab SEREN. et POTENTISS.
REGE PRUSS. Berolini conditam Academiam equestrem est
evocatus , ut illustris Iuuentutis studia et mores moderaretur . Ne-
que hoc sine fructu et sua qvoqve laude ad hoc usqve praestitit
tempus . Praeterea de claris Marchicis , qvorum vitas descriptis ner-
vose , bene meruit , aliisqve eloquentiae et doctrinae documentis ef-
fecit , ut Professoris Publici et PRO-Rectoris in Gymnasio nostro mu-
nus ipsi benevolo Patrum affectu conferretur . Qvod ipsum qvo-
qve more conserveto et solenni , die XXII. Dec. h. II X. matutina feli-
citer , ut speramus , ingredietur , habita oratione auspicali DE OBLI-
VIONE MORIS ANTIQVI , propter qvam aliasqve ob cau-
sas defecisse literas autor Dialogi de corruptae eloquentiae causis
c. XXVIII. scribit . Ut igitur novo Gymnasi Doctori sua praesen-
tia PATRONI et literatores alii suam benevolentiam animumqve in
literarum ornamenta faciant testatum , maximopere rogamus . In-
primis vero Magnificos et Amplissimos Civitatis PROCERES , BURG-
GRABIUM REGIUM , PRÆSIDEM , PRO-CONSULES CONSULES , atqve SCHO-
LARCHAS : Experient. PHYS. et MED. Pl. Rev. V. D. MINISTROS. Spe-
Ctab. JUDICIORUM CONSESSUM , debito cultu et humanitate invitamus ,
ut audiendi studio voluntateqve suffragandi suum comprobent por-
ro in nos affectum . Faciemus nos iterum , ut expectioni et bene-
ficiis cultu et pietate respondeamus , aliorum qvoqve Fautorum et Li-
teratorum humanitatem officiis ac bene merendi studio semper com-
pensemus . P. P. Dominica IV. Adventus , Anno Christi clcccxi .